



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Nicetivs Ep. 1. Octobris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

## O C T O B E R.

S. NICETIVS EP. 1. Octobris.

**N**ICETIVM prius calum ad Sacerdotium, quàm Pont. destinavit, quando natus jam tunc Sacerdotale capitis decus coronam gestare visus est. Hanc amplius deinde infula Trevirensis exornavit, quam ubi illi Theodoricus rex decrevit, nescio quid grave cervici suæ tertium incumbere sensit; credo ut cum illo scirent omnes Pontifices, Infulam non tam ornamentum capitis quàm onus esse. Sed onus hoc pares humeros in NICETIO invenit & contra Reges etiã fortes. Et evenit, ut cum aulae asseclas à sacris prohibitos templo Theodobertus rex nollet excedere, homo à dæmone infessus uti virtutum NICETII, ita scelerum regis longum catalogum palam recitaret, ut jam Rex non illos modò, sed omnes omnino exesse templo perciperet. Cesserunt igitur illi ex ade sacra, mox dæmon ex homine etiam. Sed & in ipsos reges non semel fulmen sacrum vibravit, neque exilio neque adeò morte intentatã absterritus. At urbis servatorem & civium esse tunc patuit, quando grassante gravi lue mali genii illas voces auditi sunt loqui: facessite hinc focii, quando pro urbis alterã

M m 2      portã

portâ D. Eucharius, pro alterâ D. Maximinus, pro totâ urbe medius NICE-  
TIVS excubat. Quid? quod Christus  
è turri conspicuus spectacula fecit NI-  
CETIO, & in scenam omnes ordine  
Gallorum reges produxit. Quid spe-  
ctatorem tunc fecisse NICETIVM  
credis? ego uti in Tragicocomœdiâ fieri  
assolet, nunc risum, nunc lacrimas cre-  
do dedisse. *Ex Surio.*

S. B A V O C O N F. 1. OCTobris.

**A**liam aulam B A V O cum conjun-  
ge, aliam hâc demortuâ habitavit.  
Illa talis erat, qualem vetus nobilitas  
& è principe Francorum sanguine ori-  
go commendabat; hæc qualem calum  
laudat, quercus primò cava, mox cella  
hoc augustior quò angustior. Sed si il-  
lam priorem plures homines, hanc ul-  
timam plures Angeli frequentarunt.  
Auriga verò, qui ad hujus ædificium  
lapides convehebat, quas diras B A  
V O N I imprecatus est, ipse sensit, cum  
à dæmone ex equo, à rotis equorumq;  
calcibus vitâ ejectus est. Sed B A V O  
ut sanctè se vindicaret, vitam reddidit.  
Interea evenit ut in servulum offende-  
ret, quem olim in alienam servitutem  
vendiderat. Veniam igitur oraturus  
supplex dominus mancipii pedes pre-  
hendit. Nec prius expiatâ hanc noxam  
credidit, quàm domini tergum serviles  
manus